De

Rhesi fabulae aetate et forma.

Von

Dr. Wilhelm Nöldeke.

Schwerin, 1877.

Buchdruckerei von G. Hilb.

Inter omnes fabulas, quae Euripidis nomine nobis traditae sunt, nulla sane est, de qua tam diversae summorum criticorum sententiae fuerint, quam Rhesus tragoedia.

„Rhesum ab Euripide scriptam exstitisse certissima constat Didascaliarum fide, in quibus Εὐριπίδου Ῥῆσος fabula, non constat sub quo anno, ab grammaticis Alexandrinis reperta fuit. Ex quo tamen non sequitur, fabulam superstitem genuinam esse“ [1]).

Jam antiquissimis temporibus a grammaticis commentatoribusque νοθείας suspicio mota est quum ex ipsa dramatis natura tum ex argumenti, quod fabulae praemissum est, verbis: τοῦτο τὸ δρᾶμα ἔνιοι νόθον ὑπενόησαν. τὸν γὰρ Σοφόκλειον μᾶλλον ὑποφαίνει χαρακτῆρα. ἐν μέντοι ταῖς διδασκαλίαις ὡς γνήσιον ἀναγέγραπται κ. τ. λ.

Nihilo minus autem per multa saecula a viris doctis haec fabula Euripidi ascripta est; nam ex veterum testimoniis nihil aliud apparere, quam „aperte δρᾶμα non esse Euripideum neminem veterum censuisse nisi illos ἐνίους“ et rursus „veterum testimonia non probare, hance Rhesum Euripidis esse“ Dindorfius (l. l.) et praecipue Hagenbachius in dissertatione sua de Rheso tragoedia [2]) satis perspicue jam ostenderunt.

Primum ab Euripide plane abjudicavit hanc fabulam cum Jos. Scaligero [3]) et Sam. Petito [4]) L. C. Valckenarius, cujus sententia probata est Dan. Beckio in Diatriba critica de Rheso [5]).

Quorum sententiam quum multi homines doctissimi secuti sint, haud tamen inter omnes convenit, utrum Euripides Rhesum condiderit an alius poëta.

De aliorum hominum doctorum sententiis infra, nunc de eorum tantum quaeram, qui in medio relinquentes, a quo et qua aetate scripta sit, id tantum posuerunt, Rhesum ab Euripide non conditam esse.

---

[1]) G. Dindorf: poët. scenic. Graec. pag. 21.
[2]) (Basileae edita a. 1863.) pag 8—15.
[3]) Prolegg. in Manil. p. 6. seq.
[4]) Miscell. 3. 22.
[5]) cf. Edition. Euripidis Barnesio-Musgravianam III. p. 444. seqq.

Nam contra hanc sententiam praecipue Vaterus „Vindicias suas Rhesi“ [1]) conscripsit eique Hartungius [2]) in eo assensus est, quod ab adolescente Euripide Rhesum conscriptam esse dicit.

De argumento fabulae, de veterum grammaticorum commentatorumque testimoniis, de ipsius fabulae mytho, de fontibus quomodo iis usus sit poëta, de oeconomia, de arte in personarum tractatione ab Hagenbachio aliisque tam praeclare jam judicatum est, ut pauca tantum addere possim vel debeam.

Haud dubium esse videtur, quin qui Rhesum perlegerit, negaturus non sit a ceteris Euripidis tragoediis hanc esse diversissimam.

Ut ab initio incipiam, vel id sane mirum est, quod in Rheso prologus, qui in omnibus Euripidis tragoediis invenitur, deest [3]); et talem prologum Euripidis more compositum intercidisse nullo modo verisimile esse, Menzerus in dissertatione sua pag. 45 seqq. sagaciter jam explanavit.

Alia etiam res, etsi parvi momenti et quasi externa, accedit, quod ex omnibus tragoediis graecis Rhesus brevissima est. Insunt enim in Eumenidibus, brevissima Aeschyli tragoedia, versus 1047; in Sophoclis Trachiniis 1278; in Euripidis Heraclidis 1055; contra in Rheso versus 996 tantum insunt.

Jam vero sunt alia argumenta multa atque graviora, quibus facile, ut mihi videtur, intelligi potest, quam diversa a ceteris Euripidis haec fabula sit.

In hac autem re Hermannum [4]) sequi liceat, qui hanc fabulam non ab Euripide sed aevo Alexandrino conscriptam esse vult.

„Quae tandem, inquit, dicemus esse illa, quibus recentius aevum et quidem Alexandrinum videatur prodere? Sunt ea, nisi fallor, quinque: imperitia inventionis, imitatio inepta Homeri, aemulatio tragoediae Atticorum antiquioris, ostentatio variae doctrinae, dictio raris et exquisitis undique collectis plena, neque illa non aliquando peccans in consuetudinem Atticorum.“

Primum igitur si de argumento Rhesi quaerimus, scriptorem ex Homeri Iliadis libro decimo fabulam suam hausisse, quis est quin intelligat? Si autem apud Homerum omnes heroes et Graeci et Trojani virtute summa atque dignitate non carent, hic noster eos tales delineavit, ut vel ipse Rhesus, quem esse personam primariam nemo negabit, mediocriter tantum nos retineat. Beckius [5]) in eandem sententiam haec disputat: „Mores personarum non recte pinxit et ne adumbravit quidem, ut decebat poëtam, auctor hujus dramatis; jussit principes in fabula homines ea et dicere et facere, quae ingenio eorum, quale haud dubie fuisse natura rei, ratio heroicorum temporum et Homerus docent, parum convenirent; denique nullum eorum, quos in scenam introduxit, exhibuit aut eximie bonum aut praecipue

---

[1]) Euripidis Rhesus cum scholiis et vindiciis tragoediae. Berol. 1837.

[2]) Hartungius: Euripides restitutus 1844. I. pag. 6. seqq.

[3]) cf. Hagenbach, l. l. p. 14. Beck, l. l. p. 457.

[4]) Dissertatio de Rheso, opuscul. III. p. 262 seqq.

[5]) l. l. p. 459.

malum: unde nec hoc modo vel allicere spectatores et capere, vel in eorum animos agere et prodesse iis, fabula potuit."

Rectissime de hac re Hagenbachius [1]) quoque judicavit: „Quod summum et praecipuum est, ut metum moveat poëta et misericordiam, ut incendat inflammetque animos, denique eos liberet metu, frustra quaeremus in hac fabula." [2])

Facile enim intelligas, nullo modo in hac fabula inveniri posse, qua re Rhesus mortis poenam commeruerit, quamquam Vaterus: Si quaeritur, inquit, quid sibi proposuerit Euripides, id non difficile est aperire.

Id quod nullo tempore non admonendi sunt homines, deorum contemtum et superbam fiduciam dare poenas gravissimas, exemplo videmus comprobatum Dolonis, Rhesi atque Hectoris etiam et omnium Troum.

Sed quum totam fabulam perlegerim, nullum tamen, quantum memini, locum reperi, ex quo conjici possit, Rhesum et Trojanos contemnere deos aut ostendere superbam fiduciam.

Contra multis locis piam modestiam mentemque religiosam proferunt; sic in versibus 63 seqq. Hector dicit:

κἀγὼ μὲν ἦν πρόθυμος ἰέναι ὁρυ
ἐν νυκτὶ χρῆσθαί τ' εὐτυχεῖ ῥώμη θεοῦ
ἀλλ' οἱ σοφοί με καὶ τὸ θεῖον εἰδότες
μάντεις ἔπεισαν ἡμέρας μεῖναι φάος
κἄπειτ' Ἀχαιῶν μηδέν' ἐν χέρσῳ λιπεῖν.

et idem in versu 103:

θεοῦ διδόντος πολεμίους ἄνευ μάχης
φεύγειν . . .

Dolon in versu 180 Hectori respondet:

θεοῖσιν αὐτὰ πασσάλευε πρὸς δόμους.

In versu 199 sic precatur chorus:

τὰ θεόθεν ἐπιδέτω Δίκα.

atque iterum in vers. 216 seqq.

ἀλλ' εὖ σ' ὁ Μαίας παῖς ἐκεῖσε καὶ πάλιν
πέμψειεν Ἑρμῆς.

et in vers. 224 seqq.

Θυμβραῖε καὶ Δάλιε καὶ Λυκίας
ναὸν ἐμβατεύων,
Ἄπολλον, ὦ δία κεφαλά, μόλε
τοξήρης, ἵκοῦ ἐννύχιος
καὶ γενοῦ σωτήριος ἀνέρι πομπᾶς
ἁγεμὼν καὶ ξύλλαβε Δαρδανίδαις κ. τ. λ.

---

[1]) l. l. p. 23.

[2]) cf. Bernhardy: Griechische Literaturgeschichte pag. 435: Schon in seinem **Mythos enthält** Rhesus kein Element eines tragischen Stoffes, noch weniger aber ein pathetisches Motiv.

In vers. 319 seqq. Hector dicit:

πολλούς, ἐπειδὴ τοὐμὸν εὐτυχεῖ δόρυ
καὶ Ζεὺς πρὸς ἡμῶν ἐστιν, εὑρήσω φίλους.

In vers. 332 haec sunt verba chori:

ὅρα τὸ μέλλον· πόλλ᾽ ἀναστρέφει θεός.

In vers. 342 seq.

Ἀδράστεια μὲν ἁ Διὸς παῖς
εἴργοι στομάτων φθόνον.

In vers. 455 seqq. chorus precatur:

φίλα θροεῖς, φίλος Διόθεν εἶ. μόνον
φθόνον ἄμαχον ὕπατος
Ζεὺς ἐθέλοι τὸν ἀμφὶ
σοῖσι λόγοισιν εἴργειν.

Perspicue in versu 476 Hector ostendit mentem piam atque religiosam:

ἦ κάρτα πολλὴν θεοῖς ἂν εἰδείην χάριν.

In vers. 653 seqq. Minerva Veneris specie Paridem allocuta, ab eo his colitur verbis:

ἀεί ποτ᾽ εὐφρονοῦσα τυγχάνεις πόλει
κἀμοί, μέγιστον δ᾽ἐν βίῳ κειμήλιον
κρίνας σέ φημι τῇδε προσθέσθαι πόλει

Denique quum in ultimis etiam tragoediae verbis (995 seq.)

τάχα δ᾽ἂν νίκην
δοίη δαίμων ὁ μεθ᾽ ἡμῶν

chorus profiteatur, se a contemtu deorum quam maxime abhorrere, intelligere non possum, cur Vaterus deos a Trojanis contemni judicaverit.

Sed jam quaeramus, quid de superba fiducia, alia interitus causa, judicandum sit. Mihi quidem nullus Troum dux sic de se gloriari videtur, ut hac re eum deorum iram excitasse verisimile sit, nisi ipse Rhesus. Hic quidem in vers. 422 seqq. gloriosius de se praedicat [1]), nec tamen talibus verbis, ut implacabilem Minervae invidiam in se concitasse videatur.

Etiam quae Aeneas in vers. 105 seqq. de se praedicat, a superba fiducia longe abesse mihi videntur, quamquam Beckius (l. l. pag. 462) judicat, superbiam Aeneae dictorum esse vix ferendam. („Longe, inquit, hinc distat imago Aeneae, quam Homerus et Vergilius pinxerunt.")

Quid enim tum judicandum esset de Homeri Iliadis libri V versibus 347—350, quibus Diomedes Venerem deam irridet:

Εἶπε, Διὸς θύγατερ, πολέμου καὶ δηϊοτῆτος
ἢ οὐχ ἅλις ὅττι γυναῖκας ἀνάλκιδας ἠπεροπεύεις,
εἰ δὲ σύγ᾽ ἐς πόλεμον πωλήσεαι, ἦ τε σ᾽ὀΐω
ῥιγήσειν πόλεμόν γε, καὶ εἴ χ᾽ ἑτέρωθι πύθηαι.

---

[1]) cf. Hagenb. l. l. p. 24.

Rectissime de hac re Menzerus judicasse videtur in dissertatione sua pag. 5: „Nobis quidem persuasum est, futurum fuisse, ut poëta quam saepissime deae iram indicaret, si fiducia Rhesi laesam eam esse voluisset, sicut in Euripidis Hippolyto omnibus locis apparet, Veneris odium Phaedrae et Hippolyti interitus causam esse. Itaque sumendum est, deam velle Rhesum occidi, non quia is talem poenam commiserit, sed ad periculum amovendum, quod Graecorum exercitui ex eo immineat.“

Fabulae argumentum ex Homeri Iliadis libro X depromptum esse, jam supra dixi. Sed et hi et alii multi, inquit Hermannus [1]), ex ea fabularum suarum argumenta petierunt, sed ita ut summam rei ex Homero depromerent caetera fingerent ipsi, ex scintilla flammam excitantes. Nonne ille totam propemodum Doloneam in singulis rebus et verbis expressit? Et revera exemplis permultis ineptam Homeri imitationem demonstravit. Ubi discessit aliquantum ab Homero Rhesi auctor, inquit Beckius (l. l. p. 462), in ridiculas incidit ineptias. Apud Homerum Diomedes et Ulixes constanti sunt animo nec timent, quae ipsis impendere possint, mala [2]); sed in Rhesi fabula trepidant, refugiunt, vixque a Minerva ad caedem Rhesi compelluntur. (v. 565 seqq.)

Apud Homerum nocte Hector Trojanos ad consilium vocat, quo iis persuadet, exploratorem esse mittendum in castra Graecorum. In nostra tragoedia chorus Hectorem e somno excitat, nuntians aspici in Graecorum castris motum aliquem, qua ex re conjiciendum esse Graecos fugam in naves parare. Hectori, ut de hac re certior fiat, consilio cum Aenea habito placet, ut explorator mittatur.

Ut apud Homerum Dolo se offert ad explorandum, equos Achillis poscens, ita etiam in Rheso [3]), sed explicatius: quod enim ille tribus versibus expressit, idem noster triginta fere versibus exsecutus est, et ineptissime quidem. Recte Beckius: Ubi Dolo postulavit temeritatis suae praemium, addit:

παντὶ γὰρ προκείμενον
κέρδος πρὸς ἔργῳ τὴν χάριν τίκτει διπλῆν.

quo quid vulgarius et humilius dici poterat?

Magis etiam imitationem intelligas, si consideres, quam explicate a Rhesi scriptore expressum sit, quod Homerus expressit uno versu 335

ἕσσατο δ' ἔκτοσθεν ῥινὸν πολιοῖο λύκοιο.

In nostra fabula de eadem re octo versus insunt 208 seqq.

λύκειον ἀμφὶ νῶτον ἅψομαι δοράν
καὶ χάσμα θηρὸς ἀμφ' ἐμῷ θήσω κάρᾳ
βάσιν τε χερσὶ προσθίαν καθαρμόσας
καὶ κῶλα κώλοις, τετράπουν μιμήσομαι
λύκου κέλευθον πολεμίοις δυσεύρετον,
τάφροις πελάζων καὶ νεῶν προβλήμασιν.

---

[1]) l. l. p. 284.

[2]) cf. Hagenb. p. 24. Ulixes et Diomedes a Graecorum heroum nobilitate, virtute et liberalitate longe recedunt.

[3]) v. 154 seqq.

ὅταν δ' ἔρημον χῶρον ἐμβαίνω ποδί,
δίβαμος εἰμι· τῇδε σύγκειται δόλος.

Quam inepte noster poëta haec imitatus sit, nemo est, quin facile intelligat.

Quod autem Hermannus Hectoris orationem in nostra fabula v. 57 seqq. adumbratam esse dicit [1]) ex Iliadis libro VIII v. 498 seqq. non mihi persuasum est, quum et verba similitudinem fere nullam ostendant et sententiae eo tantum congruant, quod Hector sperat fore ut Graecorum exercitus intereat.

Talem vero similitudinem etiam sine ulla imitatione facile exsistere posse, mihi verisimillimum esse videtur.

Alia autem multa, quae Hermannus affert, talia sunt, ex quibus imitatio sine dubio intelligatur; [2]) sic nostrae fabulae versum 7: ὄρθου κεφαλὴν πῆχυν ἐρείσας componit cum Homeri versu 80:

ὀρθωθεὶς δ' ἄρ' ἐπ' ἀγκῶνος, κεφαλὴν ἐπαείρας

nostrae versum 304

χιόνος ἐξαυγεστέρων

cum illius versu 437:

λευκότεροι χιόνος.

Sed de Homeri imitatione haec jam sufficient, praesertim cum etiam Vaterus [3]) profiteatur, a Rhesi scriptore totos fere versus ex Homero haustos esse.

Tertium, quod Hermannus posuit, est tragoediae Atticorum antiquioris aemulatio, quae praecipue in re metrica posita est. [4])

De hac re sic disseruit:

„Quoniam numeri insunt, quales ante Olympiadem LXXXIX, cetera autem, qualia neque ante illam Olympiadem nec proximis post eam temporibus scripta esse credibile videtur, multo recentiorem esse fabulam contendo numeris ad optima exempla conformatis."

Quod autem hic de numeris judicavit, etiam Vatero probatum est. [5]) Unus tantum Spenglerus in dissertatione sua de Rheso hanc sententiam refellere conatus est. Dicit enim:

Frequentissimam in Rhesi versibus inesse solutionem, cuique fatendum erit, qui quasi praeteriens numerum solutionum aspexerit."

Sed jam Menzerus evicit, illum falso judicasse. „Inveniuntur enim, inquit in recentioribus Euripidis tragoediis — in Supplicibus circiter 170 solutiones, in Troadibus 203, in Oreste 570, in Helena 390. — At quot ascripsit Spenglerus? 57! nam omisit versus 82, 166, 381, 601, 613, 904, 962." Quum vero Menzerus hos versus enumeret a Spenglero omissos, ipse errasse videtur.

Recte ille quidem in versibus 82 et 166 Spenglerum solutiones praeteriisse vidit;

---

[1]) cf. Hagenb. l. l. pag II.

[2]) cf. Beck l. l. pag. 464: non potest de omnibus locis poëtarum, qui inter se verbis conveniunt, dici, unum sua ex altero petiisse.

[3]) Vindic. pag. 78.

[4]) cf. Bernhardy: Griechische Literatur-Geschichte II pag. 45.

[5]) cf. Hagenb. p. 26.

sed quomodo in ceteris versibus 381, 601, 613, 904, 962 longarum syllabarum solutiones invenerit, intelligere non possum. Nam ut omittam versus 381, 613, 904, 962, qui sunt plane puri, etiam in versu 601 solutio inveniri non potest.

Verba haec sunt:

οὔτ᾽ ἄν σφ᾽ Ἀχιλλέως, οὔτ᾽ ἂν Αἴαντος δόρυ.

In tertio autem iambo, quem recte poëta spondeo mutare potuit, Menzerus solutionem esse vult; in eo autem εως coalescere, quis est, qui negare possit?

Quae alia Menzerus contra Spenglerum in hac re disseruit, dubium non est, quin hunc errasse perspicue demonstrent.

Recte Hagenbachius: Si modo metricas rationes spectes, haud male Vaterus fabulam Ol. LXXXV, 4 actam esse voluit, idque etiam Zirndorfero (in chronol. fab. Euripid. pag. 119) nisi tot alia stili dictionis oeconomiae repugnarent, maxime perspicuum videretur.

Et ipse Lachmannus (de choric. systemat. trag. gr. pag. 116 seqq.) nihil nisi metra Euripideis multo subtiliora et magis elaborata respexisse videtur, cum de Aeschyli discipulo eodem fere tempore cum Eurip. Medea acta esset, cogitaret."

Jam vero de variae doctrinae ostentatione [1]), quam quarto loco Hermannus attulit, quaeramus. Videmus, aevi recentioris poëtas in fabulas suas inserere „rariora et magis abstrusa". Quod etiam Rhesi scriptorem fecisse difficile non erit demonstrare.

Jam in versu 29 insueto more [2]) Sarpedonem a matre Europa designat

τὸν Εὐρώπας, λυκίων ἀγὸν ἀνδρῶν,

quem Homerus Jovis et Laodamiae filium esse docet in Iliadis libro VI v. 198. seqq.

Λαοδαμείῃ μὲν παρελέξατο μητιέτα Ζεύς
ἡ δ᾽ ἔτεκ᾽ ἀντίθεον Σαρπηδόνα χαλκοκορυστήν.

Eodem modo in versu 906 Musa Diomedem Οἰνεΐδαν vocat [3]); eademque diffusius de Rhesi origine intexto Thamyrae cum Musis certamine disserit. [4])

Haec eadem Musa poëtae etiam occasionem dedit doctrinae Orphicae mentionem faciendi. Ut paucis complectar, incredibile fere esse videtur Euripidem aut alium antiquioris Atticorum tragoediae scriptorem talem orationem in suas fabulas inserere potuisse.

Denique vero summi momenti est „dictio raris et exquisitis undique collectis plena, neque illa non aliquando peccans in Atticorum consuetudinem." Dan. Beckius (l. l. pag. 456 [5]): Consuetis fere vocabulis, inquit, non exquisitis et novis utitur Euripides; verborum compositio laevis auribusque grata; dictio autem, qua Rhesi poëta utitur, modo tumida modo plebeja est. Scite jam monuit Valckenarius (pag. 96) vocabula inusitata plura in uno Rhesi dramate inveniri quam et in superstitibus Euripidis tragoediis et in deperditarum reliquiis omnibus."

Contra hanc sententiam disserit Vaterus (pag. 99): Critici, qui Rhesi poëtae crimini

---

[1]) cf. Welckeri tragoed. graec. III. p. 1118.
[2]) Hermann. l. l. pag. 289.
[3]) cf. Il. V. 813.
[4]) cf. Il. II 595.
[5]) cf. pag. 464.

vertunt, quod ille raris, exquisitis, undique collectis utatur, non duxere operae pretium, ad easdem leges reliquas Euripidis fabulas comparare." Attamen dubium esse non potest, quin Valckenarii sententia plane sit tuenda. Nam quum Vaterus, ut ipsius verbis utar, ad easdem leges ex Euripidis Bacchiis omnia verba delegerit, quae in ceteris Euripidis tragoediis non inveniuntur, non plus octo reperit; in Rheso autem, si Menzerum sequi licet [1]), quadraginta circiter vocabula insunt, quae in nullo libro Graeco, qui memoriae proditus est, inveniuntur: Hujusmodi statim in versu tertio inest verbum τευχοφόρων; vers. 31 μόναρχοι non proprio significatu; vers. 33 κερόδετα τόξα; vers. 41, 78, 823 πυραίθειν (πὺρ αἴθειν);

vers. 247 δυσάλιος substantivum (adjectivo utitur Aeschylus in Eumenid. v. 399.)

v. 256 μῖμον pro μίμημα scripsit poëta.

Pleraque alia inusitata verba collegerunt ex Rheso Hagenbachius l. l. atque Hermannus [2]); et quae alia his etiam addenda sint, Menzerus pag. 32 seq. explanavit. „Nolo plura affere, inquit Dan. Beckius pag. 465, vel parum recte dicta, vel tumida, atque adeo intellectu difficilia, qualia non scripsisset Euripides. Qui quum verba plerumque usitata, loquendi modos non quaesitos, usurpasset, noster contra poëta, venatus quasi tironum more, videtur exquisitas formulas, verbaque rara, et inprimis, quae scilicet ipsi meliora videbantur, Aeschylea." Si autem Vaterus (pag. 139) dicit: Insunt quaedam in Rheso, quae ab Euripide potius quam ab alio scriptore scripta esse censeas, facile intelligas, inesse etiam quaedam in Rheso, quae ex Aeschylo et Sophocle sine dubio hausta esse videantur. Ad quod demonstrandum sufficiant, quae Hagenbachius collegit pag. 37 seqq. ex quibus haec afferre liceat:

Rhes. v. 179 seq.:

καὶ μὴν λαφύρων γ'αὐτὸς αἱρήσει παρών.
θεοῖσιν αὐτὰ πασσάλευε πρὸς δόμους.

Aesch. Agam. v. 578

θεοῖς λάφυρα ταῦτα τοῖς καθ' Ἑλλάδα
δόμους ἐπασσάλευσαν ἀρχαῖον γάνος.

Rhes. v. 308.

πολλοῖσι σὺν κώδωσιν ἐκτύπει φόβον

Aesch. Sept. v. 386

χαλκήλατοι κλάζουσι κώδωνες φόβον.

Rhes. v. 446:

ῥίπτεις κυβεύων τὸν πρὸς Ἀργείους Ἄρην

Aesch. Sept. v. 414:

ἔργον δ'ἐν κύβοις Ἄρης κρινεῖ.

Rhes. v. 882

Τροίαν ἀνάγει πάλιν εἰς πένθος δαίμων ἄλλος

---

[1]) cf. Hagenbach, l. l. p. 33 seqq.

[2]) pag. 289 seqq.

Sophocl. Ajac. v. 131:

ὡς ἡμέρα κλίνει τε κἀνάγει
πάλιν ἅπαντα τἀνθρώπεια.

Haec de „dictione raris et exquisitis undique collectis plena“.

Quibus verbis quum Hermannus etiam addat „neque illa non aliquando peccans in consuetudinem Atticorum“, id sane omittendum non est, quod in nostra fabula duo verba inveniuntur, quae ex Homero petita in nullo Atticorum libro inveniuntur, quorum alterum est in versu 525 „δέχθαι“, alterum in versu 629 „μεμβλωκότων.“ [1])

Nonne haec omnia plane demonstrant, Hermannum rectissime judicasse in verbis: Multa sunt, quae ut potuerint recordatione illorum locorum, ex quibus petita videntur, dici, tamen non aperte prodant imitatorem. Verum qui illa attentius considerat, tamen miretur necesse est, quod tam multa raro usu hic illic dispersa in hac una fabula congesta sunt. Et horum profecto tantus est numerus, ut, si hic scriptor non est imitator dicendus, non videam, quem alium hoc nomine appellari conveniat?

Quodsi constare videtur, Rhesum fabulam ex omni fere parte vel maxime a ceteris Euripidis abhorrere et si de hac re inter omnes fere homines doctos convenit, jam difficilis oritur quaestio, a quo et qua aetate scripta sit?

Vaterus atque Hartungius, quum nonnulla in hac fabula ab ingenio Euripidis abhorrere negare non possent, tamen ut eam huic poëtae vindicarent, ab adolescente Euripide conscriptam esse judicaverunt.

Sed tantopere hanc fabulam ab omnibus usque ad extremum vitae annum ab Euripide scriptis diversam esse, ut homines illos doctos errasse appareat, nemo fere negabit. Juvenilem ardorem nullum inesse in nostra fabula, facile quemvis lectorem concessurum esse credo [2]); et recte judicat Hermannus (l. l. p. 274): mutat profecto aliquid aetas facitque saepe, ut quis alius videatur vir factus, quam adolescens fuit, at non mutantur omnia, sed est etiam, quod sibi constet manentque ejusdem ingenii vestigia.“

Sed jam quaeramus de illorum sententiis, quibus fabulam ab Euripide conditam non esse probatum est. Videmus etiam hic alios aliunde profectos opiniones maxime diversas edidisse.

Jam supra dixi, Lachmannum vel Aeschyleae aetatis poëtae Rhesum ascripsisse [3]), contra quam sententiam videas, quae Beckius (l. l. pag. 459) disserit: Convenit Rhesus cum fabulis Aeschyli troporum audacia verborumque novitate, sed non adest Aeschylea illa actionis simplicitas, non vehementia in movendis animis, non sublimitas et magnitudo in characteribus sermonibusque personarum etc.

Diffusius jam disseram necesse est de Welckeri sententia [4]), qui quum in hac fabula dictionem illam raris et exquisitis undique collectis plenam esse et maxime distare a ceteris

---

[1]) cf. Odyss. XVII, 190: δὴ γὰρ μέμβλωκε μάλιστα ἦμαρ.

[2]) cf. Hagenb. l. l. p. 29.

[3]) cf. Scalig. prolegg in Manilium p. VI: auctor Rhesi tragoediae vetustissimus, qui sine dubio non est Euripides.

[4]) (l. l. p. 1125.)

Euripidis fabulis concedat, nullo modo tamen fieri posse dicit, quin existimet, victoriam de Persis reportatam hac tragoedia iterum celebratam esse et quidem proximis post eam temporibus; et hanc ipsam ob causam de industria poëtam barbarorum mores non eadem arte atque Graecorum delineavisse.

Cum eo fere consentit Vaterus: verissime barbarorum et Graecorum ingenia moresque delineata esse ab Euripide et maxime distare a barbarorum verbositate Graecorum breviloquentiam, a barbarorum fiducia cautam Ulixis praecipue prudentiam, a barbarorum audacia veram virtutem Graecorum". Quam sententiam ego quidem sequi non possum. Nescio enim, an Diomedes et Ulixes sive alius Graecorum dux cautius et prudentius loqui potuerint, quam Aeneas „barbarus" in vers. 105 seqq.:

εἴθ᾽ ἦσθ᾽ ἀνὴρ εὔβουλος, ὡς δρᾶσαι χερί.
ἀλλ᾽ οὐ γὰρ αὐτὸς πάντ᾽ ἐπίστασθαι βροτῶν
πέφυκεν· ἄλλῳ δ᾽ἄλλο πρόσκειται γέρας,
σὲ μὲν μάχεσθαι, τοὺς δὲ βουλεύειν καλῶς.

Neque quum tragoediam nostram perlegerem, perspicuum mihi fuit, poëtam Hectorem et Rhesum delineavisse tales, quorum verbositas a Graccorum breviloqueatia distaret.

Longissima enim Hectoris et Rhesi colloquia sunt in versibus 28 (393—421) et inde a versu 422 usque ad 453.

Contra in Sophoclis Ajace [1]) plura hic loquitur, et in Aeschyli Agamemnone [2]) ipse et Clytaemnestra colloquuntur quinquagenis fere versibus; permulta exstant alia exempla. —

Quid vero de illa sententia judicandum est, a barbarorum audacia veram Graecorum virtutem distare? Recte hic Menzerus: „Hectorem, inquit, pro heroe depinxit poëta: nam si talem eum esse voluisset qualem Vaterus eum descriptum esse putat, id est, si vera virtute et prudentia carentem eum finxisset, quid de Graecorum ducibus esset judicandum, qui ab eo plane superati erant.

Adde huc etiam, quod Minerva de Rheso dicit in versu 598 seqq.:

ἄνδρα δ᾽οὐ πέπυσθε σύμμαχον
Τροίᾳ μολόντα Ῥῆσον οὐ φαύλῳ τρόπῳ.

Ejusdem aetatis poëtae, Sophocli, haec fabula attributa est a Gruppio in Ariadna (1834) cap. VII—X. Quae sententia vel praecipue mota est illis, quae supra diximus, argumenti verbis: τὸν γὰρ Σοφόκλειον μᾶλλον ὑποφαίνει χαρακτῆρα. Difficile quidem non est etiam Sophoclis vestigia in hac fabula invenire, sed quis negabit, aeque recte permulta etiam ex Aeschylo et Euripide hausta esse videri.

Argumenta, quae Beckius [3]) recte contra hanc sententiam protulit, haec sunt: Sophocles optimo semper modo disponit fabulam, quaeque ejus tragoedia unam nobis sistit actionem, et ita ut nihil alieni ab initio ad finem fabulae admisceatur, cohaereant omnia et ad verum quam proxime accedant. Deinde res, quas tractant Sophocleae fabulae, sunt ejusmodi ut spectatores Atticos facile possint capere, personae autem ita loquentes agentesque intro-

---

[1]) v. 815—865.
[2]) v. 810—913.
[3]) pag. 459.

ducuntur, ut loqui eos et agere natura ipsa jubebat. Denique etsi in affectibus concitandis agendisque non est tam eximius, in praeceptis sapientiae non tam copiosus quam Euripides, tamen et de virtute praecipere et commovere spectatorum animos non raro solet. Unde apparet, Rhesum etsi in nonnullis, verbis nempe et brevitate sententiarum, imitatur Sophoclis tragoediarum naturam, tamen ab iis longissime distare, si fabulae dispositionem, si rerum gestarum modum, si mores, si miserationis affectus spectaveris.

Praeterea autem, quod mihi gravissimum esse videtur, insunt in Rheso enuntiata quae apud Sophoclem prorsus non exstant, centum fere et quinquaginta, quae in dissertatione sua pag. 30. seqq. collegit Hagenbachius, qui monendum etiam dicit, nonnulla ejusmodi esse, ut recordatione lectorum vel auditorum locorum ductus inscius poëta ea posuerit, multa autem, quae apertum prodant imitatorem.

Si igitur ex iis, quae hactenus exposui, satis perspicue apparet, Rhesum neque Euripidi, neque Aeschylo neque Sophocli posse ascribi, haec quidem certa sunt, cetera in conjecturis posita, quae non nisi ad aliquam accedunt verisimilitudinem. [1])

De aetate autem, qua Rhesus condita sit, quaerenti mihi id magni momenti esse videtur, quod in hac fabula multis locis „πέλτης" vocis mentio fit, velut in versu 304

πέλτη δ᾽ ἐπ᾽ ὤμοις χρυσοκολλήτοις τύποις ἔλαμπε.

v. 370 seqq.:

ἐλθέ, φάνηθι, τὰν ζάχρυσον
Πηλείδᾳ προβαλοῦ κατ᾽ ὄμμα πέλταν
δοχμίαν πεδαίρων σχιστὰν παρ᾽ ἄντυγα.

v. 409 seq.

Θρῃκῶν ἀρίστοις ἐμπεσὼν κατὰ στόμα
ἔρρηξα πέλτην . . .

v. 486 seq.:

πάρεστί σοι
πέλτην ἐρεῖσαι καὶ καταστῆσαι στρατόν.

Gravior etiam est ille locus v. 311 seqq. quo nuntius adventum Rhesi et quas ducat copias, Hectori refert:

πολλοὶ μὲν ἱππεῖς, πολλὰ πελταστῶν τέλη
πολλοὶ δ᾽ ἀτράκτων τοξόται . . .

Qua re apparet, vocem „πέλτην" jam crebris sermonibus usurpatam fuisse. Quumque constet, Athenienses peltis instructos esse primum ab Iphicrate non ante Ol. XCV [2]) et tum demum plane scivisse, quid de iis judicandum esset, verisimillimum esse videtur, ante hanc Olympiadem fabulam conditam non esse. Si autem hoc ponimus, [3]) minus miremur necesse est, quod in hac fabula invenimus versum 354:

σύ μοι Ζεὺς ὁ φαναῖος
ἥκεις διφρεύων βαλιαῖσι πώλοις,

---

[1]) cf. Beck l. l. p. 467.

[2]) cf. Thuc. II, 29. 5.

[3]) Bernhardius l. l.

quod Musa in illa oratione, de qua jam supra judicatum est, minatur in vers. 949 σοφιστὴν δ'ἄλλον οὐκ ἐπάξομαι, et quae alia „rariora et magis abstrusa“ in hac fabula insunt.

His autem positis jam restat, ut de eorum sententiis disseram, qui de eo quidem consentiunt, Rhesum ante illam, quam diximus, aetatem conditam non esse, quorum tamen sententiae longe inter se discrepant et de aetate et de poëta.

God. Hermannus [1]) et eodem fere tempore Morstadtius [2]) ad Alexandrinorum tempora fabulam detrudendam esse judicaverunt, quos viros doctissimos Menzerus (De Rheso tragoedia in dissertt. philos. Berolin. an. 1867) secutus est. —

Certe quidem, quicunque Rhesum perlegerit, concedat necesse est, permulta in hac fabula inesse, quae vestigia aevi Alexandrini illa ab Hermanno dicta ostendant, attamen nonnulla, et ea non levia, sunt, quae huic opinioni obstent. Id tantum affere liceat, quod Hagenbachius (pag 54) aliis, quae omitti possunt, judicatis dicit: Addas etiam, quod tum temporis actam vel in lucem proditam fabulam criticorum grammaticorumque oculos ita fefellisse, prorsus cogitari nequeat.

Idem de Hermanni sententia judicat G. Dindorfius [3]): A qua sententia prudenter sibi caverat Valckenarius, quum Alexandrina fabulae origo neque ex ipsa certis indiciis demonstrari possit nec per se verisimilis sit. Nam si a poëta Alexandrino composita fuisset, vix hoc latuisset antiquos grammaticos Alexandrinos: illud vero facilius iis accidere poterat, ut Didascaliarum auctoritate decepti fabulam, quae cum reliquis tragicorum fabulis Athenis Alexandriam delata esset, sine ulla fraudis sibi factae suspicione legerent.

Quae Hermannus de imperitia inventionis, de dictione, de metris fabulae docuit, etiam Bernhardio (l. l. pag. 434—438) probantur; neque vero ejus de aetate sententiam sequitur, sed auctorem medio loco interpositum esse putat inter antiquae tragoediae aetatem et Alexandrinorum aevum.

Eandem aetatem, nomen poëtae in medio relinquens, Hagenbachius sequitur, multaque de hac sententia (pag. 61 seqq.) sagaciter disserit, auctorem esse modo putans scriptorem mediocrem, diligentia vero et studio haud prorsus contemnendum, qui non unum dignum habuerit, ad cujus exemplum plane tragoediae oeconomiam compositionem dictionem elaboraret formaretque.

Statuendum censet, auctorem scripsisse paullo ante Alexandrum (circa 360—340), „quo tempore, quum unius exempli imitandi studium desiisset, fortasse poëta quidam obsoleti jam enervatique generis Euripidei et volubilium leviumque numerorum taedio captus ad gravitatem illam strenuitatemque veteris tragoediae animo converso id ipsum confecerit, quod in manibus est.“

Sed de hac re certi quidquam dici posse haud crediderim; etiam Dindorfius de eo, quod Hagenbachius judicavit, dicit: quod verum esse potest, sed verum esse demonstrari nequit, licet in fabula ipsa nihil sit quod huic sententiae obstet.

---

[1]) Opuscul III pag. 262 seqq. (1828).

[2]) Beiträge zur Kritik des Rhesus. Heidelbg. (1827.)

[3]) l. l. pag. 21.

Omnia igitur, de quibus doctissimi fere omnes homines consentiunt, et quae certa esse videntur, haec sunt: Rhesum neque ab Euripide neque ab Aeschylo, neque a Sophocle, neque iisdem temporibus compositam esse. Atque haec quidem aliquo modo certa sunt, cetera in conjecturis posita, quae non nisi ad aliquam accedunt verisimilitudinem. Quamquam ne hoc quidem omnino certum est, Rhesum non iisdem temporibus compositam esse, praesertim quum J. Scaliger et C. Lachmannus aliter judicaverint. Primum enim horum duumvirorum sententiae omnes, qui in Rheso insunt chori, et melica omnia in omni re metrica egregie favent. Tum oeconomia non minus inepta quam in Rheso in antiquis quibusdam tragoediis exstiterat, ut in Neophronis Medea [1]) et in Xenoclis tragoediis, qui Euripidi aequalis erat et aemulus.

---

[1]) cf. Nauck: Tragicorum graec. fragmenta pag. 565.